

97 Dices: Ex hac ratione sequitur, quod quando ad finem intentionem efficaciter non est nisi unum medium, iudicium electionem regulans obtemperat rationem imperii, cum tunc supponat intentionem determinatam ad tale medium, ex qua possit ad iudicium de medio derivari efficaciam impulsivam.

Sed nego sequelam: nam etiam in tali casu iudicium illud regulans electionem, non habet vere & proprie rationem imperii: non quia tunc caret efficacia circa tale medium, sed quia se habet per modum iudicii componentis, ac per modum indicativi exprimitur: imperium autem vere & proprie dictum, non est iudicium aut compositio, sed dictamen aliquod mentale, per verbum imperativi modi expressum, ut articulo precedenti docuimus.

98 Secunda pars conclusionis, quae assertit electionem imperium virtuale supponere, breviter suadetur. Electio quantum ex vi prioris intentionis habet vim movendi intellectum ad actum imperii, habet rationem usus virtualis in ordine ad talem actum, ut art. 1. in solutione ultimi argumenti insinuavimus. Sed usus virtualis supponit imperium virtuale a quo dirigitur: Ergo etiam electio imperium aliquod virtuale rationis presupponit. Quare S. Thomas hic art. 3. ait: Sicut voluntatis utentis ratione ad imperandum, praedit ipsam imperium: ita etiam potest dici quod & ipsum usum voluntatis praedit aliquod imperium rationis, eo quod actus harum potentiarum supra seipsos invicem reflectuntur. Sicut ergo electio, quatenus habet vim movendi intellectum ad actum imperii, est usus quidam virtualis: ita & iudicium eam antecedens & regulans, prout dicitur cum quadam motione (quam ex intentione precedenti participat) quod hic & nunc ponendus est actus electionis, seu quod voluntas hic & nunc applicanda est ad electionem, habet rationem virtutis imperii. Unde quamvis in ordine directo, electio praecedat imperium, ut docet S. Thom. loco supra adducto: in ordine tamen reflexivo, imperium quoddam virtuale & reflexum praecedit consensum & electionem, & ad utrumque actum praerequiritur.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

99 Obijcies primo contra primam conclusionem: Imperare est intimare voluntati hic & nunc actum esse exercendum: Sed intellectus intimat voluntati hic & nunc exercendam esse primam intentionem, alias voluntas nunquam exerceret eam: Ergo datur imperium ad primam intentionem.

100 Respondeo imperium non solum dicere imitationem, sed etiam motionem quantum ad exercitium: actus vero intellectus precedens primam intentionem, non habet hanc motionem, ut probatur est: quia voluntas non movet in hac intentione, sed a solo Deo movetur. Unde inter iudicium antecedens intentionem finis, & iudicium praecedens electionem mediorum, hoc reperitur discrimen, quod iudicium antecedens intentionem, non presupponit in voluntate alium actum priorem, a quo participet vim movendi, quantum ad exercitium, bene tamen iudicium quod electionem praedit: illud enim supponit intentionem finis, quae hoc ipso quod est virtualis volitio electionis, habet vim movendi ad exercitium ejus, & ideo habet rationem imperii virtualis: non tamen imperii formalis, quia nec gaudet determinata efficacia circa hanc media in particulari, nec per verbum imperativi, sed indicativi modi exprimitur, ut antea ponderatum est.

101 Obijcies secundo: Posita quacumque cognitione, & quocumque iudicio indifferente ex parte intellectus, voluntas manet indifferens ut intendat vel non intendat hanc finem: Ergo indiget imperio, ut hanc potius quam alium finem intendendo determinetur.

Sed negatur consequentia: nam ad primam intentionem homo nec se movet, nec se determinat, sed specialiter movetur ac determinatur a Deo, per specialem instinctum, seu dictamen, quod supplet vices imperii, ut docet D. Thom. hic art. 3. ad 3.

102 Obijcies tertio contra secundam conclusionem: Ad eos actus necessarium est imperium, ad quos requiritur prudentia: Atqui prudentia non solum requiritur ad usum seu executionem mediorum, sed etiam ad eorum electionem: Ergo & imperium. Major patet: imperium enim, ut supra vidimus est praecipuus actus prudentiae. Minor vero suadetur. Cum electio sit praecipuus actus virtutis moralis, quae ideoque dicitur recte electiva dicitur, si ad illam non requireretur prudentia, praecipui actus virtutum moralium ferent sine prudentia, & illa solum ad actum minus principalem virtutum electivarum, scilicet usum, necessaria foret: quod videtur inconveniens.

103 Respondeo concessit Majori, negando Minorem: ad electionem enim sufficit iudicium rationis, elicium a virtute Synthesis, quae est virtus annexa prudentiae, & prudentia appellatur. Neque ex hoc sequitur electionem suam

sine prudentia privative, aut contrarie, sed solum negative, id est sine regulatione prudentiae simpliciter dictae, in quo nullum est inconveniens: nam cum electio (quamvis sit praecipuus actus virtutum moralium) finaliter ad executionem ordinatur, sufficit quod pro executione requiritur regulatio prudentiae simpliciter dictae, & ad electionem regulatio per virtutes integrantes prudentiam, scilicet Eubuliam & Synesim. Si tamen voluntas se supra suos actus reflectat, & suam electionem eligat, sicut intellectus cognoscit suam intellectionem, electio erit a prudentia stricte sumpta, & ab imperio ejus, saltem virtuali & reflexo, ut ex supra dictis patet: nihilominus necessarium non est quod sic reguletur, cum nec praedicta reflexio necessaria sit.

ARTICULUS V.

Vivum omnes actus & motus qui sunt in homine, possunt subdri imperio rationis?

§. I.

Primitur quae apud omnes sunt certa.

Notandum primo, plures & diversos actus, & motus esse in homine, juxta diversitatem potentiarum, quae in eo reperuntur: nam in parte ejus superiori sunt actus intellectus & voluntatis, qui sunt motus perfecti harum potentiarum: in parte vero inferiori reperuntur actus appetitus sensitivi, tam cognoscitivi, ut sunt actus sensum exteriorum & interiorum, quam affectivi, ut sunt omnes illi actus seu motus qui dicuntur passiones: sunt etiam actus animae vegetativae, ut nutritio, augmentatio, generatio &c. insuper sunt motus membrorum corporis generaliter, & specialiter motus cordis & cerebri. Et de his omnibus (exceptis actibus voluntatis, de quibus diximus articulo precedenti) quaeritur in presenti, utrum possint subdri imperio rationis: quod enim non semper illi subdantur, manifestum est.

Notandum secundo, duplex esse imperium; unum regale & politicum, aliud servile & despoticum: primum non est cum pleno dominio, sed relinquit subdito libertatem resistendi, unde civis potest resistere imperio Regis: alterum est cum pleno dominio, quod admittit omnem potestatem resistendi. Itanc divisionem tradit Philosophus 1. politic. c. 3. Explicandum est ergo, quodnam imperium ex illis intellectus in potentias inferiores exercent?

§. II.

Quaeritur conclusio difficultas resolvitur.

Dico ergo primo: actus intellectus, quantum ad exercitium, subdantur imperio rationis.

Explicatur & probatur conclusio: Actus intellectus potest dupliciter considerari, uno modo quantum ad exercitium actus, alio modo quantum ad specificationem. Quantum ad exercitium subdri imperio rationis: quia consideratio intellectus potest esse medium ad assequendum aliquid finem v. g. scientiam; unde intellectus potest esse potentia executiva, & sic applicari per usum voluntatis previo imperio de tali usu. Quantum vero ad specificationem, si sit simplex apprehensio, non subdri imperio, sed ipsam habet ex lumine naturali vel supernaturali, quo aliquod objectum attingit: si autem sit iudicium seu assensus, vel dissentus, aliquando subdri imperio rationis, ut quando intellectus versatur circa credibilia & opinabilia: cum enim non convincatur circa illa, potest per imperium rationis determinari ad utramlibet partem, ut assensum vel dissentum praebet, vel ut suspendat utramque: unde fides imperium rationis, & primum motionem voluntatis supponit, ut ostendimus in Tractatu de fide Disput. 2. art. 1. & declarat Augustinus tract. 36. in Joan. dicens: Intrare quisquam Ecclesiam potest nolens, accedere ad altare potest nolens, sed credere non potest, nisi volens. Aliquando vero assensus intellectus non subdri imperio rationis, nec libertatis, neque motioni voluntatis; ut quando intellectus versatur circa prima principia, vel circa conclusiones evidentes ab illis deductas: cum enim convincatur circa illa, est determinatus ad unum naturaliter. Haec docet D. Thomas hic art. 6.

Dico secundo: Actus appetitus sensitivi subdantur politico & regali, non vero despotico rationis imperio. Ita S. Doctor art. 7. post Aristotelem 3. Politicorum c. 3. ubi dicit quod ratio praestitit irascibili & concupiscibili, non principatu despotico, qui est domini ad servum, sed principatu politico & regali, qui est ad liberos, qui non totaliter subdantur imperio.

Probatur ratione D. Thom. In tantum aliquis actus subdri imperio rationis, in quantum est sub potestate nostrae: unde illi qui sunt totaliter sub potestate nostrae, subdri imperio rationis despotico: qui vero non sunt totaliter sub nostra potestate, sed possunt ratione prohibente injurgere, aut

aut ea imperante sanguere, dicuntur subesse regali & politico rationis imperio: Sed actus appetitus sensitivi sunt sub potestate rationis, juxta illud Genes. 4. Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius: non tamen totaliter & perfecte. Ergo subdantur politico & regali, non vero despotico rationis imperio. Minorem probat S. Doctor: quia cum appetitus sensitivus sit virtus organo corporeo affixa, ejus motus dependet a duobus, nempe a virtute appetitiva & a dispositione organi; sic visio, quia est actus potentiae vivae corporeo organo affixa, non solum dependet a potentia visiva; sed etiam a qualitate & dispositione oculi, per quam juvatur aut impeditur: unde licet actus appetitus sensitivi subdatur potestati rationis: quantum ad illud quod se tenet ex parte potentiae (nam illud quod est ex parte potentiae sequitur apprehensionem imaginationis, quae cum sit particularis, regulatur ab apprehensione rationis, quae est universalis, sicut virtus particularis activa regulatur a virtute activa universalis) tamen quantum ad illud quod est ex qualitate aut dispositione organi, rationis potestati non subdri, quia illa qualitas non est in nostra potestate.

Dico tertio, actus potentiarum vegetativarum non subdri imperio rationis.

109 Rationem hujus conclusionis assignat D. Thom. hic art. 8. ex disparitate quae est inter sensitivas potentias & vegetativas: nam ille sequitur formam apprehensam; atque adeo cum hac apprehensio rationi subordinatur, tanquam aliqua imperfecta ejus participatio, rationis subordinationem sequuntur: At vero potentiae vegetativae sequuntur formam naturalem, & mere naturaliter agunt; ratio autem non habet aliquod naturalem supra naturam: Ergo actus potentiarum vegetativarum per se & directe non subdantur rationis imperio, sed indirecte tantum & per accidens quatenus actiones illae, quae praecedunt actus hujusmodi potentiarum, ut comedere, bibere, & similes, sunt in nostra potestate; unde per subtractionem vel ministracionem alimentorum nutritiva & augmentativa possunt ad suas operationes applicari, vel ab illis suspendi.

110 Ex quo facile solvetur instantiam quae fieri solet de actibus temperantiae, qui ad partem negativam pertinere videntur, & tamen subdantur rationis imperio, & sunt laudabiles & meritorii. Respondetur enim actus temperantiae esse formaliter in appetitu sensitivo, licet versentur circa delectationes tactus & gustus, quae percipiuntur in applicatione materiae, circa quam nutritiva & generativa habent actum, & sic indirecte & per accidens actus hujusmodi potentiarum subdri rationis imperio, non tamen directe & per se: non enim quisquis vult crescere crescit, neque quisquis vult digerere cibum, ipsam digerit, sed ille tantum qui habet dispositiones corporis ad hujusmodi actus necessarias.

Dico ultimo, motus membrorum exteriorum subdri despotico rationis imperio, quantum ad motum localem. Est etiam D. Thomae hic art. 9.

111 Probatur: Imperium tunc dicitur despoticum, quando inferior ad nutum & sine resistuntia superiori obedit, ut notabili secundo declaravimus: Sed membra exteriora ad nutum & sine resistuntia rationi obediunt quantum ad motum localem, juxta illud Augustini 8. Confess. cap. 9.

Imperat animus, ut moveatur manus, & tanta est facilitas, ut vix a servitio discernatur imperium: Ergo membra exteriora subdant quantum ad motum localem imperio despotico rationis. Dixi membra exteriora, quia motus cordis, cum sit sors & origo vitae, ab ipsa natura, vel a generante, non vero a rationis imperio derivatur. Exciipienda sunt etiam membra quae generationi deserviunt; illa enim rationi non obediunt, etiam quantum ad motum localem, sed ejus imperio sepe resistunt, ut anima sua inobediens ad Deum, in illo praecipue membro panam patitur, per quod peccatum originale ad posterum traducitur: inquit Augustinus lib. 14. de civit. c. 16.

112 Obijcies contra hanc conclusionem: Membra exteriora non moventur a ratione, nisi mediante appetitu; quia juxta probabilioris sententiam, potentia appetitiva est loco motiva, membra vero solum sunt ejus instrumenta: Atqui ratio non imperat despotice appetitui sensitivo, sed politice tantum, ut in 2. conclusione diximus: Ergo nec membris externis, quantum ad motum localem.

Respondeo duplicem esse distinguendum motum in appetitu sensitivo, unum quo fertur in objectum sibi proprium & conveniens, qui est quaedam concupiscentia, seu appetitio boni sensibilis, alium quo movet membra ad operandum: licet autem in ordine ad primum motum plene & perfecte, seu despotice rationi non obediat, benetamen quantum ad secundum, nisi forte iste alteri repugnet.

§. III.

Corollarium precedentis doctrinae.

EX dictis in decursu hujus tractatus habes, in processu agentis intellectualis, plures actus, sive intellectus, sive voluntatis reperiri, qui ad octo praecipuos possunt reduci. Primus est simplex volitio finis, de qua disp. 4. Secundus intentio, quae est volitio efficacis consecutionis finis: de qua disp. 8. Tertius consilium, quod non solum importat inquisitionem mediorum, sed etiam iudicium seu sententiam, quae unum ceteris esse preterendum judicatur, ut disp. 10. ostendimus. Quartus dicitur consensus, quo voluntas complacet sibi de mediis inventis, & approbat illa, ut ibidem declaravimus. Quintus est electio, quae voluntas acceptat unum praeelectis: de qua disp. 9. Sextus imperium, quo intellectus cum motione quadam, a praecedenti electione participata, intimat voluntati executionem mediorum. Septimus usus, quo voluntas applicat potentias exequentes ad opus, ut disp. 11. fuisse monstravimus. Octavus est ipsius finis affectio, ex qua resultat quies seu delectatio, quae fruitio appellatur: de qua disp. 7. Quinque primi actus pertinent ad ordinem intentionis, qui incipit a volitione & intentione finis, & terminatur ad electionem mediorum: tres vero ultimi spectant ad ordinem executionis, qui incipit ab imperio, & ad frustrationem terminatur.

Hos actus, ut sunt infra ordinem physicum, toto hoc tractatu consideravimus: in sequenti de illis, ut ad ordinem moralem pertinent, & bonitatem vel malitiam moralem fundant, Deo favente, differemus.

TRACTATUS TERTIUS DE MORALITATE ACTUUM HUMANORUM.

Ad Quaestionem 18. D. Thomae, & tres sequentes.

P R A E F A T I O.



ISI triplicem Mundum olim Philosophia Platonis distinxerit, Archetypum, intellectualem, & corporeum, quos microcosmus homo, creatorumque epilogus, felicitate nec in sese colligit: veritas tamen Theologorum Schola, cum unicum mundum unius nominis absolutam imaginem agnoscat, scriptum in ipso ordinem rerum, naturalium, intelligibilium, & moralium distinguit. Exerit ut in Deo totus res & entis plenitudo, infinita sapientia, ac summa bonitas existit; ita triplicem ad Deum creaturam respectum habent, ut ad principium, exemplar, & finem. Si primum in Deo principii rationem spectes, Suprema est existentium rerum causa: si ut exemplar & sapientiam inspicias, effectrices illas habet, quibus producendis rebus & mensuram praesigis: si ad bonitatem animam converteris, omnia ad sese ut ultimum finem & centrum poterabit. Ut prima rerum causa, & totius esse immensum Pelagus, infimum ordinem naturae constituit: ut exemplar, rebus veritatis radium insundit, quo ad altiorum intelligibilium ordinem evocantur: ut finis demum ultimus, bonitatem rebus largitur, cuius pulchritudine & convenientia appetitum allicium; & moralitatem statum constituit. Hinc triplex illa apud sapientes transcendentalis, ut vocant, notio, quae per omnium rerum genera divagatur, entitas, veritas, bonitas; quam ita distribuendam consuevit, ut entitas naturam, veritas scientiam, bonitas virtutem omnem moralem comprehendat. Haec quae in ceteris specie quadam & umbra tenus spectare libet, omnino ad hominem pertinent: ut enim ex corpore & anima coalescit, nihil habet supra infimum rerum ordinem; quas natura suo ambitu claudit, est inter eas, quae oculis sensibusque percipiuntur, primum locum obtineat: prout vero rationis est participes, & virtutum intellectualium praesidia, divina & humana conceplantur, in ordinem intelligibilium transire; ac demum virtutibus moralibus instruantur, & praesentio

ratio rationis iudicio, ut sese in ultimum finem dirigat, nec ab imposta sibi lege desistat, in altiori ordine rerum, scilicet morali, versatur. Nihil est in homine, si ipsum in primo vel altero gradu constitutum spectet, quod ab hunc tractatum pertinet: sed ut regulis morum subiectus est, a quibus abstrahere potest vel regi, omnino habet sibi partem vendicari, & recto quidem ordine: cum enim humanorum actuum naturam, seu esse physicum moralitas consequatur: postquam Superiori Tractatu de humanis actibus, tum universim, tum speciatim actum est, quoad esse physicum, & ut ad ordinem naturae pertinent, recte methodus postulat, ut quæstiones D. Thomæ explicentur, a 18. ad 22. de eorum bonitate vel malitia morali differamus.

Ceterum, licet forsitan hæc Tractatio plures difficultates sua deterere soleat, unum tamen habet, quod ceteris pene omnibus anteposendam censet: vix enim alteram Theologia partem reperies, quæ cum ipsa utilitate iure contentat. Hæc una visio extinguit, virtutes inserit, seros animi motus mitigat, componit, & affectus omnes ita temperat ut merito a Platone iusticia magna dici poterit, non quia solum pulsu aures corporis, quas sapientia filias carminis vocat, ad vacuum voluptatem demittat: sed quia partim animi concordia, ac virtutum harmonia, suavissimum & maxime optandum animi concentum edat. Quid enim me doces inquit Seneca Epist. 88.) quomodo inter se acuta & graves voces consonant, quomodo nervorum disparem redudentium sonum fiat concordia? fac potius quod animus meus secum consonet, ne consilia mea discrepent. O egregiam artem! Scis rotunda metiri, in quadratum redigis quamcumque acceperis formam, nihil est quod in mensuram tuam non cedat: si artilex es, si geometra metire animum, dic quam magnus, quam pusillus sit. Scis quæ recta sit linea; quid tibi prodest, si quid in vita rectum sit ignoras: Denique moralis scientia, omnium bonarum artium mater, quæ errorum dicitur, quæ docet nobilitat, quæ instruit ornât, unde a Platone Scientia optimi meriti nuncupatur.

Transiamus ergo (inquit Lactantius Lib. 3. instit. cap. 7.) ad eam Philosophiam (dicamus nos Theologia) partem, quam moralem vocant, in qua totius Philosophia ratio continetur, siquidem in illa quæ Physica dicitur, sola oblectatio est, in hac etiam utilitas. Et quoniam in disponendo vita statu, formandisque moribus, periculo majori proceditur, maiorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat vivere. Illis enim potest vita concedi, quia siue aliquid dicant, nihil profunt; siue delirant, nihil nocent: hic vero nullus dissidio, nullus error locus, omnes unum sentire oportet, ipsamque Philosophiam, uno quasi ore præcipere, quia si quid meriti erratum, vita omnis evertitur.

DISPUTATIO PRIMA.

De Moralitate in communi.



icet precipuus scopus huius Tract. sit explicare bonitatem & malitiam moralem actuum humanorum, & ab illis D. Thomæ exordium sumptum: quia tamen notitia gradus generici non parum juvat, ut species sub illo contenta perfecta dignoscantur, hæc dispositionem veluti præambulum, & viam ad reliquas præsentis tract. difficultates aperientem præmittimus.

ARTICULUS PRIMUS.

Quid sit Moralitas actuum humanorum, quidve addat supra libertatem?

§. I.

Referuntur sententia, & verba eliguntur.

Esti moralitatis existentia notissima sit, abstrusissima tamen & obscurissima est illius natura: unde in ejus explicatione Doctores ita inter se divisi sunt, ut fere tot sint sententia, quot capita: Quidam illam cum libertate confundunt, existentiam actus humanos dici morales ex eo præcise, quod a libera voluntate cum perfecta rationis deliberatione procedant. Alii dicunt moralitatem esse denominationem extrinsecam, a lege, libertate, aut alia forma extrinseca petitam. Alii docent, illam sitam esse in ordine five relatione actuum humanorum ad suam regulam. Et est adhuc circa huiusmodi relationem inter Theologos pugna: nam aliqui censent esse tantum relationem rationis cum fundamentum in re: alii e contra afferunt esse relationem realem; & ex istis quidam volunt eam esse prædicamentalem, alii transcendentali. Quibus præmissis, pro resolutione difficultatis

Dico primo, libertatem esse quidem fundamentum moralitatis actuum humanorum, non tamen ipsam moralitatem formaliter.

Prima pars est certa: quia actus humani habent a libertate quod possunt subijci regulis morum, & ab eis dirigi & mensurari; unde actus omnino necessarii, & ad unum determinati, non sunt capaces talis directionis: frustra enim adhiberetur lex el quod est ex se & natura sua determinatum ad unum; & aliter se habere non potest: Ergo libertas in actibus humanis est fundamentum moralitatis, & ibi incipit genus moris, ubi primo dominium voluntatis invenitur, inquit S. Doctor in 2. dist. 2. q. 3. a. 2. De quo plura diximus tractatu precedenti disp. 2. art. 3.

Secunda vero pars, quod scilicet libertas non sit formaliter ipsa moralitas, multipliciter ostenditur. Primo quia libertas pertinet ad ordinem physicum, est enim proprius modus agendi creature rationalis, per quem in genere physico operandi ab irrationalibus distinguitur. Secundo, quia prius intelligitur libertas in actibus humanis, quam moralitas: prius siquidem concipimus, intellecta proponente aliquid objectum cum indifferentia, voluntatem in illud cum indifferentia tendere (in quo formaliter consistit libertas) quam habere esse morale in suo actu; imo ex eo tanquam a ratione a priori habet esse morale in suo actu, quod tendat in objectum cum indifferentia, ex eo enim actus est mensurabilis per regulas morum. Tertio, Si nulla esset regula morum, puta nulla lex, adhuc posita indifferentia iudicij in intellectu, intelligeretur libertas in actibus voluntatis, & tamen in tali casu nulla esset in eis moralitas: Ergo moralitas non est formaliter ipsa libertas.

Dico secundo, moralitatem non consistere in extrinseca denominatione.

Probatur primo ex D. Thomæ hic art. 4. ad 2. ubi loquitur de moralitate quam actus habent ex fine, expressè dicit quod inhaeret actui, quamvis finis a quo sumitur, sit extrinsecus: At denominationem extrinsecam non inhaeret subiecto, nec intrinsece illud afficit, sed solum extrinsece denominat, ut esse vitam in pariete: Ergo juxta D. Thomæ moralitas actuum humanorum in extrinseca denominatione non consistit.

Probatur secundo: Voluntas, ratio, lex, & objectum, dicuntur moralia, per ordinem & attributionem ad actum moralem: Ergo id quod constituit moralitatem, extrinsece est in actu morali, non in potentia, lege, vel objecto. Consequenter patet: quia analogia attributionis dicitur per ordinem ad illud, in quo principaliter & intrinsece est ratio seu forma per nomen significata, v. g. medicina, urina, & diæta, dicuntur sana per ordinem ad sanitatem, quæ formaliter & intrinsece est in animali. Antecedens vero probatur: Potentia dicitur moralis quia causat actum morale, lex quia ipsum dirigit, objectum, quia terminat: finis, quia movet; circumstantia, quia afficiant: Ergo omnia hæc dicuntur moralia, per ordinem & attributionem ad actum moralem.

Confirmatur: Forma a qua actus humanus immediate denominatur moralis, debet esse intrinsece in aliquo subiecto: Sed hoc non potest esse aliud quam actus voluntatis: Ergo esse morale in huiusmodi actu, non est denominatio solum extrinseca. Major patet. Minor probatur. Forma illa, cum sit ipsa actualis & formalis moralitas, debet subijci in quo est constituitur actus & formaliter: sicut qualibet forma actualis confert suo subiecto actuali denominationem: Solum autem actus voluntatis est capax prædictæ denominationis, sicut solus ipse est actu formaliter in genere moris, & actu formaliter bonus vel malus: Ergo, &c.

Nec valet, si dicas cum Suarez, formam tantem illam denominationem esse libertatem, siquæ primariam & intrinsecam denominationem, quæ est denominatio liberi, conferre voluntati in qua est, & deinde extrinsece denominare moralem, actum qui a voluntate elicitor. Non valet, inquam. Tum quia libertas neque est ipsa moralitas, neque forma moralis, sed pertinet ad ordinem physicum, ut iam ostendimus; denominatio autem moralis, a forma morali sumi debet: Tum etiam quia libertas in actibus a voluntate elicitis, non est extrinseca denominatio, proveniens a potentia, ut supponit Suarez, sed est quidam modus vitalitatis in illis existentis, & a potentia libera & vitali, nempe voluntate, participatus, ut egregie ac eruditè probant Salmantica. tract. 10. disp. 1. dub. 5. & patet ex eo quod aliter continenda sit libertas in actibus elicitis immanentibus, qui sunt quasi per essentiam liberi, ac imperatis transcendentibus, qui ab eis liberi denominantur, adeoque cum in istis sit extrinseca, in illis poni debet intrinseca.

Dico tertio: Moralitas actuum humanorum sita est in relatione actus liberi ad regulam suam, in relatione inquam, non rationis, sed realem, non prædicamentalem, sed transcendentali.

Conclusio tres habet partes, quæ sigillatim probande sunt. Prima facile statuetur: Tum quia ratio moralitatis in actibus humanis pertinet ad genus mensurabilis & regulabilis per regulas morum; mensurabile autem, ut tale dicitur ordinem ad mensuram: Tum etiam quia de moralibus eodem proportionali modo debemus philosophari, sicut de artificialibus: Sed in artificialibus tota formalis ratio artefacti sumitur ex ordine ad ideam & regulas artis, quæ sunt in mente artificis: Ergo & in moralibus tota formalis ratio moralitatis debet sumi ex ordine, seu relatione quam actus humani dicunt ad suam regulam, lex mensuram.

Secur-

Secunda pars, quæ asserit talem rationem non esse rationis, sed realem, videtur etiam manifesta, quidquid in contrarium dicit Vasquez hic disp. 73. c. 7. Primo quia moralitas convenit actibus humanis independenter ab omni fitione intellectus: nam revera & a parte rei actus humani sunt moraliter boni, aut mali, meritorij vel demeritorij, & laude aut vituperio digni. Secundo, quia fieri entis rationis est cognosci, non autem fieri moralitatis, alias qui cognosceret peccatum, faceret: quod est ridiculum. Tertio: Ordo gratiæ, status gloriæ; unio hypostatica, in ordine morali fundantur: quis vero credat pretiosissimam hæc moralem, vilissimam entis rationis in niti fundamento? Nec minus a ratione distonum videtur, quod Deus entis rationis immensum gloriæ pondus, vel æternos honores statuerit cruciatus: Ergo relatio quæ actuum humanorum esse morale constituit, non rationis, sed vere realis est, cum sit tot tantorumque bonorum aut malorum origo.

Tertia denique pars, quod nimirum hæc relatio non sit prædicamentalis, sed solum transcendentalis, probatur: Moralitas est genus ad contraria, scilicet bonum & malum morale: Sed relatio non est genus ad contraria, nec in ejus prædicamento est directa contrarietas, ut ex Aristotele cap. de relatione docent commentar. Dialectici: Ergo, &c.

Præterea relatio prædicamentalis, ex proprio conceptu, five generico, five specifico, non exprimit perfectionem aut imperfectionem, convenientiam aut disconvenientiam, bonitatem vel malitiam, sed est purus respectus ad terminum sub ratione termini; quod adeo verum est, ut nequidem divinarum relationum, ex vi formalissimi conceptus ad perfectionem expriment, ut in tractatu de Trinitate disp. 3. art. 5. ostendimus: Atqui species moralitatis, quæ sunt bonitas & malitia, formalissime expriment, illa perfectionem & convenientiam, hæc vero disconvenientiam & imperfectionem: Ergo neque earum species, neque earum genus possent per relationem prædicamentalem constitui. Adde quod sæpe existit moralitas, absque eo quod objectum morale, quod est ejus terminus, a parte rei existat: ut cum quis appetit bonum vel malum possibile: Sed sine existentia termini non datur relatio prædicamentalis: Ergo relatio quæ actuum humanorum esse morale constituit, non est prædicamentalis, sed solum transcendentalis.

§. II.

Soluntur Objectiones.

Contra primam conclusionem objici possunt primo varia D. Thomæ testimonia, quibus hic quest. 18. & sequentibus sæpe asserit actum voluntatis esse moralem, in quantum est liber. Sed facile responderet, hæc debere intelligi in sensu causali, non vero formali, quia libertas est radix & fundamentum moralitatis, ut in prima parte conclusionis diximus: sicut quia rationalitas est radix sensibilitatis, & ab eodem in pariete fundamentum relationis similitudinis, dicimus hominem in quantum rationalem esse sensibilem, & parietem ut ab eodem esse similem. In eodem sensu accipiendum est id quod ait idem S. Doctor in 2. dist. 40. qu. 1. art. 1. nempe interiores actus voluntatis divisi per bonum & malum, sicut per differentias essentielles: nam solum vult bonum & malum, fundamentali & radicaliter sumpta, esse differentias essentielles actus voluntarii: quamvis enim bonitas & malitia moralis formaliter sumpta, sint accidentia actuum humanorum, ipsi tamen actus voluntarii, ut tales & ex natura sua, fundant bonitatem & malitiam, in quo differunt ab artificialibus, quæ per suam substantiam non sunt radix, ex qua resultant diversæ formæ artificiales quibus differant, sed totaliter adveniunt ipsæ ab extrinseco principio, & solum habent secundum suam substantiam, potentiam obedientialem respectu ipsarum: unde clavus & cultellus v. g. non distinguuntur essentialiter per esse clavem & cultellum, etiam radicaliter; sicut distinguuntur actus bonus & malus, per esse bonum & malum radicaliter.

Ex his etiam facile intelliges alia D. Thomæ testimonia, quibus ait actus voluntatis esse morales, in quantum procedunt a ratione, seu deliberatione rationis, nam vel particula in quantum, in sensu causali, non vero formali sumi debet: vel dicendum est, D. Thomæ non loqui de ratione præcise proponente objectum cum indifferentia iudicij, a qua actus voluntatis habet quod sit liber, sed de ratione per synderesim & prudentiam dictantem ordinantem actum voluntatis in debitum finem, quomodo est regula moris: unde sic sumendo rationem, actus voluntatis sunt morales formaliter, in quantum ab ea procedunt.

Obijciunt secundo contra eandem conclusionem. Posita in actu libertate, & præciso omni alio, actus est formaliter moralis: Ergo constituitur in esse moris per ipsam libertatem. Consequenter patet, Antecedens probatur: Tum quia posita libertate actus est regulabilis per legem; moralitas autem ut sic, in nullo alio, nisi in hac regula. Theol. Guet., Tom. III.

libilitate, potest consistere: Tum etiam quia posita libertate, ponitur principalis proprietas moralitatis in communi, quæ est imputabilitas; nam actus imputatur, vel est imputabilis, præcise ex eo quod est sub dominio & potestate causæ; est autem sub ejus dominio & potestate, in quantum liber formaliter: Ergo &c.

Confirmatur: Nihil fingi potest, quod sit genericum & commune speciebus moralitatis, nempe bonitati & malitiae, nisi ipsa ratio liberi; nec enim aliquid est determinabile bonum & malum, nisi ratio liberi: Ergo illa est genus moralitatis.

Ad objectionem respondeo, negando Antecedens. Ad eajus primam probationem, nego Minorem: moralitas enim non est ipsa regulabilitas per principia moralia, sed subiectio actualis ad huiusmodi principia, five regulas moris; regulabilitas vero est sola capacitas ad recipiendam huiusmodi subjectionem, quæ capacitas eadem esset, etsi nulla extaret regula morum. Enim vero ita se habet, proportionaliter tamen, esse morale, sicut esse artificiale: esse autem artificiale non consistit in regulabilitate per principia artis; quia hæc regulabilitas convenit rebus ante omnem artem per suam substantiam, sed consistit in habitu per modum actualis subjectionis ad regulas five principia artis, quæ subiectio supponit prædictam capacitatem five regulabilitatem: similiter esse morale non consistit in regulabilitate per principia moris, sed in actuali subiectione ad huiusmodi principia.

Ad secundam probationem Antecedens dicendum est, imputabilitatem quantum ad esse immediate sequi ad libertatem; quia ex eo quod actus est liber, potest poni vel non poni in esse: imputabilitatem vero ad conditionem laudis vel vituperij, quæ est proprietas moralitatis in communi, non sequi nisi ad subjectionem actus ad regulas morum, secundum quod est illis conformis vel difformis; nam lege deficiente, nec actus imputatur, nec punitur, quia ubi non est lex, nec præparatio. Unde quando dicitur quod actus est imputabilis præcise ex eo quod est sub dominio vel potestate causæ, distinguendum est: est imputabilis quantum ad esse, commodo, quantum ad conditionem laudis aut vituperij, nego. Vel aliter distingui potest eadem propositio, & concedi de potestate & dominio subiecto regulis & legi; & negari de dominio regulis morum non subiecto: nec enim puniatur ut præmiabitur actus domini voluntatis, si non sit lex aut regula, juxta quam; vel contra quam faciat.

Ad confirmationem nego Antecedens potest enim affirmari aliquid commune speciebus moralitatis, seu bonitati & malitiae, scilicet respectus ad objectum, ut cadit sub ordine & regulis rationis, five per conformitatem, five per difformitatem: siquidem tam difformitas quam conformitas in actu, five tam bonitas quam malitia moralis, respectum important ad objectum talibus regulis subiectum: unde in tali respectu, a conformitate vel difformitate abstrahente, & per differentias illas boni & mali moralis constitutivas contrahibili, consistit ratio generica moralitatis; non vero in ipsa libertate, quæ solum se habet per modum radicis & fundamenti moralitatis, aut per modum materiae regulabilis, & dirigibilis a regulis morum seu potius ut conditio se tenens ex parte materiae moralis: sicut in artificialibus res externe, ut lapides, & ligna, se habent ut materia regulabilis per artem. Quare sicut in artefactis, hæc tria distinguuntur scilicet materia regulabilis, regula artis, & forma ipsa artificiosa, quæ est per conformitatem ad huiusmodi regulas: ita in moralibus hæc tria debent distingui, nimirum regula morum quæ sit recta ratio & lex, præsertim divina; subiectio five ordo ad huiusmodi regulas, quæ est ratio formalis constitutive moralitatis; & materia regulabilis, quæ nulla alia est, quam ipsi actus liberi voluntatis, qui cum sint indifferentes ut bene vel male fiant, possunt & debent subijci regulis morum, & ab ipsis dirigi & regulari.

Obijciunt tertio contra secundam conclusionem: Moralitas actuum humanorum sumitur ab aliquo extrinseco, nempe a libertate, vel a lege, aut ab objecto in quod tendunt: Ergo consistit in denominatione extrinseca, non vero in aliqua forma intrinseca.

Confirmatur: Moralitas in objectis non est aliquid intrinsecum, sed vel est ens rationis, vel extrinseca denominatio: Ergo etiam in actibus; illi siquidem debent proportionari objectis.

Confirmatur amplius: esse morale in aliis rebus, v. g. in valore monetarum, in dominio rerum, aut pretio rerum venalium, est pura denominatio extrinseca, aut merum ens rationis: Ergo & in actibus humanis; nulla enim potest alligari ratio discriminis.

Ad objectionem respondeo negando Antecedens: nam 19 actus humani non denominantur morales immediate a libertate, aut a lege, vel ab objecto, sed ab ordine ad objectum, ut regulis morum subijctum, qui ordo est ipsa intrinseca, ut patet ex supra dictis.

Dices, ordinem illum non semper esse realem, sed interdum esse solum respectu rationis: Ergo si ab illo ordine actus

actus humani dicuntur morales, denominatio moralis in actu humano sumitur ab aliquo ente rationis. Consequenter patet, Antecedens probatur. Ordo realis debet esse ad terminum realem, ac realiter existentem: Sed actus humani non semper dicuntur ordinem ad objectum reale, & realiter existentem, ut patet cum aliquis appetit res futuras, aut impossibiles: Ergo ordo actuum humanorum ad objectum non semper est realis.

21 Respondeo negando Antecedens. Ad cuius probationem dicendum, quod licet ordo predicamentalis requiratur terminum existentem, transcendentis tamen potest verificari circa non existens, & circa non entia; ut constat in Logica, quae licet sit scientia realis, verificatur tamen circa secundas intentiones, quae in objectis nihil reale ponunt: item dignitates & honores, jurisdictionem, precedentiam, & alia similia realibus desideramus, & ambimus, & tamen non sunt nisi denominationes rationis. Unde patet responsio ad primam confirmationem: esto enim in objecto esse morale sit ens rationis, vel extrinseca denominatio (de quo infra) habito tamen ad illud, subinde, quae moralitas formalis, potest & debet esse realis, & intrinseca. Neque inter actum & objectum requiritur proportio in esse rei (habitus enim Logicae, ut dicebamus, est intellectui intrinseca & realis, & tamen eius objectum est ens rationis): sed sufficit proportio in ratione attingentis & attingibilis, quae optime salvatur, etiam si objectum sit denominatio extrinseca, vel ens rationis, & licet habito ad illud terminata, sit realis & intrinseca. Patet etiam solutio ad secundam confirmationem, dispartitas in esse morale monet v.g. esse morale actuum humanorum: valor enim monet, & pretium rerum venalium, directe & immediate a voluntate vel intellectu humano sumitur; moralitas autem actuum humanorum, licet leges divinas & humanas supponat, ab illis tamen immediate non sumitur, sed ab ordine transcendentali, quem huiusmodi actus dicunt ad objectum, ut regulis morum subiectum, qui ordo est realis, & illis intrinsecus.

22 Obijcies quarto: Idem numero actus sine aliqua reali mutatione potest fieri de bono malus, immo & de non morali moralis: Ergo moralitas non est aliquid reale & intrinseca, sed ens rationis, aut extrinseca denominatio. Antecedens patet in usu carniui continuo a feria quinta in feriam sextam, qui sine reali mutatione propter extrinsecam mutationem temporis, efficitur malus, & in motu primo, qui si continetur, advertente ratione, de non morali fit moralis, sicut de non libero liber. Consequenter vero probatur: tum quia esse reale non supervenit sine mutatione reali: tum etiam exemplo dexteritatis in columna, quae dexteritas non est in ea aliquid reale, sed denominatio extrinseca, quia sine aliqua reali mutatione fit de dextera dextera.

23 Respondeo negando Antecedens: quando enim actus mutatur de bono in malum, aut de non morali in morale, mutatur intrinseca in esse moris, quia tunc suscipit novum modum realem, seu novum respectum ad objectum, qui ordo actibus humanis realiter inheret, ut de relatione ad finem dicit D. Thom. hic art. 4. ad 2.

24 Obijcies ultimo contra tertiam conclusionem: Moralitas actus consistit in habitu ad objectum, vel ad rationem, tamquam ad mensuram. Sed habitu mensurabilis ad mensuram est relatio predicamentalis: Ergo moralitas actuum humanorum in relatione predicamentali consistit.

25 Respondeo concessa Majori, distinguendo Minorem: habitu mensurati ad mensuram est predicamentalis, quando respicit terminum ut pure terminum, concedo Minorem: quando respicit terminum ut objectum specificativum sui, vel causativum, nego Minorem: unde cum habitu ad objectum, in qua moralitas actuum humanorum consistit, non respiciat illud ut pure terminum, sed ut specificativum & causam formalem extrinsecam, non est relatio predicamentalis, sed transcendentalis. Quod ut magis percipiatur, advertendum est, actus humanos & morales, duplicem habitudinem ad objectum regulis morum subiectum importare, unam transcendentalem, qua illud ut specificativum & causam formalem extrinsecam respiciunt, aliam predicamentalem, quae idem objectum per modum puri termini & correlativi attingit; prima prius in objecto intelligitur, unde & fundat aliam quae est predicamentalis, & actum humanum in ratione moralis formaliter constituit. Sicut scientia duplicem dicitur habitudinem ad objectum, unam transcendentalem, per quam specificatur; aliam predicamentalem, quae est mensurabilis ad mensuram, & ad tertium genus pertinet, a priorem ut rationem fundandi presupponit.

S. III.

Collaria ex dictis.

26 EX dictis colliges primo, specificativum formale & immediatum moralitatis actuum humanorum, non esse legem, cui subijcitur, sed objectum in quod tendunt, ut subditum legi, & ab ea propositum.

Probatur primo: Moralitas comparatur ad actum in esse physico, ut modus & perfectio ipsius, ac proinde debet ipsi proportionari in modo specificandi, sicut ei proportionatur in modo essendi: Sed actus in esse physico specificatur ab objecto: Ergo & in esse moris; cum hoc tamen discrimine quod in esse physico specificatur ab objecto, secundum suam naturalem bonitatem & convenientiam considerato, at in esse moris species desinit ab alio ut subiecto regulis morum, & ut regulato per legem ac dictamen synderesis & prudentie ordinantis in finem. Unde D. Thom. hic art. 8. sic ait: *Actus omnis habet speciem ab objecto, & actus humanus quia dicitur moralis habet speciem ab objecto relatio ad principium actuum humanorum, quod est ratio.*

Probatur secundo: Actus moralis non respicit legem, nisi mediante objecto, sicut ipsa lex non aliter regulat actum: quam proponendo objectum prosequendum vel fugiendum, & licet dicitur exercitium actus, totum tamen hoc est in ordine ad objectum, & per modum attingentis ipsius: Ergo id ad quod actus directe & immediate terminatur non est lex, sed objectum ut propositum per legem. Tertio: Idem actus secundum speciem respicit distinctas species leges, puta furtum, divinum, naturale, & humanam: Ergo non specificatur in esse moris a lege. Consequenter patet: quia res specificata non potest habere majorem entitatem, quam eius specificativum.

Denique probatur: Si actus moralis specificaretur a lege, omnes actus qui respicerent eandem legem, essent ejusdem speciei: Sed hoc est falsum: Ergo & illud. Major patet, Minor vero probatur: quia restitutum & retentio rei alienae, invito domino, quae differant specie in esse moris, respiciunt eandem legem iustitiae, praecipientem reddere unicuique quod suum est.

Dices, hoc argumentum etiam nos urgere: quia actus diversae speciei in esse moris possunt esse circa idem objectum, sicut furtum & restitutum versantur circa rem alienam.

Respondetur actus diversae speciei in esse moris, posse esse circa idem objectum materialiter solum, non vero formaliter: sicut possunt formaliter eandem legem respicere: unde furtum & restitutum respiciunt rem alienam sub diversa ratione formali; nam restitutum respicit eam ut non retinendam invito domino, furtum ut auferendam invito domino: at vero furtum & restitutum respiciunt praedictam legem, quatenus formaliter praecipit unicuique reddi quod suum est.

Colliges secundo, moralitatem quae in objecto actuum humanorum reperitur, & quae objectiva dicitur, non esse aliud quam ipsammet entitatem objecti, ut connotat legem, cui subditur tamquam regulae & mensurae ad terminandum actum.

Probatur: Eodem proportionali modo objectum habet esse morale quo voluntas, quia principium & objectum actus moralis, sicut principium & finis sibi correspondent: Sed esse morale in voluntate non est aliud, quam ejus entitas ut connotat legem, cui subditur, in ordine ad suam operationem eliciendam: Ergo eodem proportionali modo moralitas objecti non est aliud, quam ipsamet ejus entitas, ut connotat legem cui subditur, &c.

Explicatur magis: Si voluntas consideretur secundum se, praecisa omni lege, solum intelligimus potentiam physicam, & principium actus liberi, accedente vero determinatione legis, abique alio superaddito, redditur principium proximum moralitatis, ac proinde agens morale: Ergo similiter considerando objectum, seclusa omni lege, intelligitur ut objectum physicum, terminans actum voluntarium & liberum; accedente vero lege, quae praecipit aut prohibet, abique alio superaddito, constituitur proxime objectum morale, connotando legem, cui subdit in ordine ad terminandum actum.

Quod potest amplius confirmari: Sicut voluntas non est moralis in essendo, sed in operando solum (non enim subest legi quod voluntas fit, aut non, sed quod tali aut tali modo operetur, aut non operetur) ita objectum ut sic non est morale in essendo, sed in terminando; nec de eo dicitur lex in pluribus saltem, an debeat esse vel non esse, sed an debeat talis aut talis actus ad ipsum terminari aut non terminari: Ergo sicut moralitas voluntatis non est aliud quam ejus entitas, ut in operando subest legi, ita moralitas objecti non erit aliquid quam ipsius entitas, ut subest legi terminando actum.

Quomodo vero entitas objecti, & voluntatis, quae secundum se non est intrinseca moralitatis, possit rationem moralitatis intrinseca habere, abique additione alicujus intrinseci, per solum connotationem extrinsecam legis, facile intelliges, si consideres quod relatio paternitatis, quae nato primo filio resultat in patre, tum etiam denominat patrem secundum filium, per solum extrinsecam illius connotationem. Similiter entitas materiae primae, connotando formam non dum habitam, sed possibilem haberi, est intrinseca appetitus desiderii, connotando vero formam praesentem, desinit esse appetitus desiderii, & fit appetitus complacentiae. Item species Angeli representant singularia, quod existunt, sine ulla intrinseca mutatione, hoc ipso quod ea connotant.

tant ut in actu posita. Denique actus necessarius divina voluntatis habet intrinseca rationem actus liberi, per solum connotationem creaturarum, in aliqua determinata differentia temporis connotatur. Horum autem omnium ratio est, quia sunt plures formae, quae non tribuerent aliquem effectum formalem, aut denominationem etiam intrinsecam, nisi aliquid extrinsecum connotarent. Unde si quis ita arguat: Vel antecedenter ad legem est in objecto forma constitutiva moralitatis, vel advenit cum lege? Primum non potest; alias ante legem objectum esset morale. Si vero dicatur secundum, sequitur quod talis forma est separabilis ab objecto, atque adeo realiter distincta. Facile respondebitur, formam constitutivam moralitatis objectivae, ante legem esse in objecto, quantum ad totam realitatem quam in recto importat, non tamen ante legem illud constituitur proxime morale, defectu connotati, a quo pendet haec denominatio. Sicut licet in specie Angeli semper fuerit forma constitutiva representationis singularium, quantum ad totam realitatem quam dicitur in recto, non est tamen praedicta representatio, nisi cum singularia existunt, quia huiusmodi existentia est connotatum necessarium ad illam.

ARTICULUS II.

Quae sint regulae moralitatis.

Cum ordo moralis dependeat a regulis morum, & per consequens ad has regulas bonitas & malitia moralis desumantur; explicata actuum humanorum moralitate, consequens est ut ipsius regulas exponamus. Unde fit

S. I.

Duae regulae moralitatis explicantur.

27 Dico igitur, duas esse regulas moralitatis: unam remotam & extrinsecam, in mente divina existentem, scilicet legem aeternam; aliam proximam & intrinsecam, ac in homine residentem, nempe dictamen nostrae rationis, secundum quod praedictam legem participat, & ei subordinatur.

Probatur ex D. Thom. infra qu. 71. art. 6. ubi sic ait: *Regula voluntatis humana est duplex; una propinqua & homogenea, scilicet, ipsa humana ratio: alia vero est prima regula, scilicet lex aeterna, quae est quasi ratio Dei.*

28 Probatur secundo ratione: Sicut ordo artificialis, ejuque obliquitas & restitutum attenduntur per comparationem ad finem particularem, quem artifex intendit, ita ordo moralis consideratur per habitudinem ad finem ultimum humanae vitae, qui se habet ad hominem, in quantum est agens morale, sicut finis particularis ad artificem, in quantum artifex est, ut docet D. Thomas infra qu. 21. art. 2. ad 2. Cum autem solus Deus possit esse finis ultimus hominis, prima regula dirigens ipsum in talem finem, potest solum in mente divina existere: sicut quia solus Deus est primum principium creaturarum, prima idea, per quam res in esse producantur, non potest alibi quam in Deo existere: Sed ratio gubernationis rerum, & directio illarum in ultimum finem, lex aeterna appellatur: ut dicit S. Doctor infra qu. 90. art. 1. Ergo lex aeterna in mente divina existens, est prima regula moralitatis actuum humanorum. Adde quod prima regula debet esse a se indefectibilis in dirigendo & regulando, sicut primum principium est indefectibile in operando: Sed nulla creatura potest habere ex se indefectibilitatem in ordine morali, sicut nulla potest esse ex se impeccabilis: Ergo prima regula hujus directionis non potest esse aliquid creatum, sed sola ratio directionis creatura rationalis in ultimum finem, in mente divina existens, quam legem aeternam appellamus.

29 Quod autem dictamen rationis nostrae sit proxima regula morum, sic ostenditur: Illa est prima regula moralitatis, quae in virtute primae, & tamquam ejus participatio, dirigit actus morales, sive per quam ipsa aeterna lex, & prima regula homini manifestatur, & imitatur ut adimplenda: Sed tale est rationis nostrae dictamen: Ergo illud est proxima regula moralitatis actuum humanorum. Major patet, Minor probatur. Deus qui est primum dirigens in finem ultimum, dirigit res omnes conformiter ad ipsam naturam, eis communicando vim quamdam ipsarum naturae proportionatam, quae est quaedam participatio primae & aeternae regulae in ipsius mente praesentis, & haec participatio est ipsius proxima & immediata regula operandi. Unde in rebus corporeis haec virtus nihil aliud est, quam naturalis inclinatio, vel instinctus, ratione cujus indefectibiliter tendunt in suos fines: in creaturis vero intellectibus participatio divina directionis non potest in sola inclinatione naturali consistere, quia non debet ad unum determinata, sed ad plura indifferentes: unde debet in illis specialiter participari per aliquid superadditum, quo ipsi denunciantur quae per legem aeternam agenda praescribuntur, & hoc est dictamen rationis: Ergo immediata & proxima

Theol. Scoti, Tom. III.

xima regula actuum moralium est dictamen rationis, ut participat legem aeternam in mente divina praesentem. Illud autem non debet esse solum actus synderesis dictans in communi quid sit faciendum, vel fugiendum, sed etiam actus prudentiae dictans in particulari quid sit agendum; quia cum operationes morales sint in singularibus, & ex singularibus circumstantiis dependent, cognitio universalis, etiam si sit practica, nequit in eas influere, aut eas regulare, nisi ut applicata per dictamen particulare illi & nunc: sicut in speculativis principia universalis, etiam si sint vera & necessaria, non inferunt veram & necessariam conclusionem, nisi applicata secundum legitimam formam per rectam illationem.

Dices: Naturalis ratio non dicitur, nisi quae sunt de lege naturae: Atqui dantur plures actus morales, qui non spectant ad legem naturae, sed ad positivam, divinam, vel humanam: Ergo dictamen naturale rationis, non est sufficiens regula proxima moralitatis.

Respondeo distinguendo Majorem, non dicitur directe & primario, transcat: non dicitur secundario & ex consequenti, negatur. Nam cum ratio & lex naturalis dicitur praedictum esse cuilibet legitime praecipienti, eo ipso quod qualibet alia lex, sive humana, sive divina, aliquid praecipiat vel prohibeat, ipsa naturalis ratio consequenter dicitur illud esse faciendum vel fugiendum. Adde quod, quando dicitur dictamen rationis nostrae esse proximam regulam morum, hoc non est intelligendum de ratione nostra nuda sumpta, & solo lumine naturali illustrata, sed de ratione ut informata praecipit legis divina, vel naturaliter, vel per doctrinam, vel per institutionem, inquit S. Thomas q. 1. de malo art. 4.

Ex his inferes contra Scotum, Suarez, Vasquez, & alios Recentiores, naturam rationalem, ut antea dicit dictamen rationis, & quamcumque legem, non esse formaliter regulam moralitatis, quamvis possit quodammodo dici regula radicalis.

29 Probatur: Regula formalis moralitatis debet regulare 33 & determinare modo morali, hoc est proponendo, praecipiendo, &c. Sed natura rationalis, ut antea dicit dictamen rationis, non hoc modo concurrens, sed inclinando per modum naturae: Ergo, &c. Adde quod, cum inclinatio naturae rationalis non sit solum ad bonum morale, sed etiam ad bonum physicum ordinis naturalis, nec solum contra illam sit malum morale, sed etiam malum physicum, bonitas & malitia moralis ex praedicta inclinatione, ut antecedente dictamen rationis, nequeunt sufficienter venari, sed solum ex ipso dictamine rationis, ut participante legem aeternam, eique subordinato. Unde natura rationalis, ut tale dictamen antecedit, potest solum dici quodammodo regula radicalis, quia est radix luminis rationis, & tale dictamen illi debetur. Dixi esse quodammodo regulam radicaliter: quia non est ita universalis in ratione regulae radicalis, sicut dictamen in ratione regulae formalis: nam dictamen, ut lege divina informatum, se extendit ad actus ordinis supernaturalis, ad quos inclinatio naturae, directe saltem, non fertur.

S. II.

Solutio obijctio Scoti.

30 Obijcies cum Scoto: Omne iudicium supponit aliquam 34 mensuram sive regulam, in qua ejus certitudo fundetur: Sed non est in quo fundetur certitudo iudicii sive dictaminis rationis nostrae, actus humanos dirigentis, praeter naturam ipsam rationalem: Ergo debet in ea fundari, ac proinde ipsa est prima regula moralitatis.

35 Confirmatur: Plura sunt, quae ex sola habitudine convenientiae aut disconvenientiae ad naturam humanam sunt bona, vel mala, antequam lege aliqua praecipiantur, vel prohibeantur, qualia sunt quae praecipiuntur, aut prohibentur lege naturae.

36 Confirmatur amplius: Si nulla daretur lex praecipiens, 36 aut prohibens aliquos actus humanos, adhuc nihilominus homo esset agens morale, & operaretur bene, dedit eleemosynam; male autem, furando, aut mentiendo: Atqui tunc sola natura rationalis esset prima regula moralitatis: Ergo & modo.

37 Ad objectionem respondeo, concessa Majori, negando Min. 37 id enim in quo fundatur certitudo iudicii, sive dictaminis rationis nostrae, actus humanos dirigentis, non est ipsa natura rationalis (cum haec, ut vidimus, non possit sufficienter determinare praedictum iudicium ad genus moris) sed est ipsa aeterna & increata Dei lex, a qua tamquam a prima regula ordinis moralis accipit certitudinem, ut in ejus virtute possit proxime regulare actus humanos, & ad ultimum finem dirigere. Unde ad primam confirmationem dicendum est, ea quae sola lege naturae sunt praecipita, vel prohibita, esse moraliter bona vel mala, per ordinem ad legem aeternam, quae est prima, totius bonitatis & malitiae moralis regula, & cujus lex ipsa naturalis, seu dictamen naturale rationis, est quaedam intimatio & participatio, ut docet D. Th. hic q. 19. art. 4. ubi sic habet: *Quod ratio humana sit regula voluntatis humanae, ea qua agit bonitas mensuratur,*

1 4

habet

habes ex lege aeterna, quae est ratio divina. Unde Psalm. 4. dicitur: multi dicunt, quis ostendit nobis bona? signatum est super nos lumen vultus tui Domine, quasi diceret lumen rationis quod in nobis est, in tantum potest nobis ostendere bona, in quantum est lumen vultus tui, id est, a vultu tuo derivatum. Unde manifestum est, quod multo magis dependet bonitas voluntatis humanae a lege aeterna, quam a ratione humana, & ubi deficit humana ratio, oportet ad rationem aeternam recurrere. Ex quo patet solutio ad secundam confirmationem: sublata enim omni lege positiva, divina & humana, homo adhuc diceretur agens morale, & bene aut male moraliter operans, per ordinem ad legem Dei aeternam quae est prima totius moralitatis, seu bonitatis & malitiae moralis, regula. Si vero supponatur primam hanc legem ac regulam operandi tolli, tunc facta hac suppositione impossibili, destruetur omnis moralitas formalis (quia sublato primo aliquid generis, a quo cetera essentialiter dependent, ea pariter destrui necesse est) & remanebit sola moralitas fundamentalis, consistens in capacitate, quam actus humani habebunt ut regulentur a legibus, si ponantur.

DISPUTATIO II.

De speciebus moralitatis.

Ad quaest. 18. D. Thomae.

Morale genus, de quo disputatione precedenti tractatum est, vulgari divisione dividitur in duas species, bonitatem scilicet, & malitiam moralem, de quibus breviter agendum est: postea resolvemus, an in eis adequatè dividatur, vel sit tertia alia species media inter utramque.

ARTICULUS I.

In quo consistat bonitas moralis actuum humanorum?

§. I.

Referuntur sententiae, & vera eligitur.

Sicut in explicanda ratione generica moralitatis, varia sunt Auditorum placita, ita & in exponenda ratione bonitatis moralis, quae est prima ac praecipua eius species, diversè sunt eorum sententiae. Prima est, bonitatem hanc nihil esse praeter collectionem omnium circumstantiarum seu conditionum, quae secundum rectam rationem necessarii sunt ut actus interior simpliciter & absolute denominetur bonus. Refertur pro hac sententia Scotus in 2. dist. 40. quo loco em declarat per proportionem ad bonitatem naturalem uniuscuiusque rei, quae nihil aliud est, quam collectio perfectionum omnium, quae tali rei iuxta naturam ejus debentur. Favet D. Thom. hic qu. 18. art. 1. ubi explicat bonitatem actus moralis, per hoc quod habeat plenitudinem essendi, & nihil illi deficit ex his quae suo esse congruunt, sicut debitis finis, debita quantitas, debitus locus &c.

Secunda opinio asserit rationem formalem bonitatis moralis consistere in relatione conformitatis ad naturam rationalem, quatenus rationalis est, ut ad primam regulam, & ad rectam rationem, ut ad regulam proximam; quam relationem vult esse rationis, & denominationem quandam extrinsecam, desumptam a regula afficiente objectum per modum formae extrinsecae, & dante illi esse regulatum & mensuratum. Ita Vasquez hic disp. 95. c. 10. & alii Recentiores.

Tertia ponit rationem formalem & specificam boni moralis in aliquo modo absoluto, actui humano superaddito. Haec attribuit Cajetano infra qu. 71. art. 6. & 72. art. 1. Sed ille loquitur de modo absoluto habente transcendentem respectum ad objectum, & contraponit ly absolutam, pure relativo, seu relationi praedicamentali, non transcendentali; unde non recedit a communi sensu Thomistarum, bonitatem moralem in habitu transcendentali ad objectum moraliter bonum, hoc est, ut conforme rectae rationi & legi, constituentium.

Dico primo: Quamvis ad bonitatem moralem actus requiratur collectio eorum omnium, quae ex parte objecti sunt illi debita secundum rectam rationem, non consistit tamen formaliter in illa collectione.

Prima pars patet, tum ex illo communi Dionysii essato, quo asserit bonum resultare ex integra causa, malum ex quoquoque defectu; tum etiam quia bonum idem est ac perfectum; perfectum autem, cui nihil deest eorum quae ipsi debentur; Ergo ad bonitatem moralem actuum humanorum requiritur collectio eorum omnium, quae ex parte objecti sunt ipsi debita.

Secunda vero pars, quod scilicet in tali collectione non consistat formaliter bonitas moralis actuum humanorum, probatur primo: Bonitas moralis non consistit in denominatione extrinsecam, sed in aliquo intrinseco aut huma-

no, ut dicemus conclusione sequenti: Atqui collectio eorum quae sunt debita actui plura extrinseca includit, nempe objectum, finem, circumstantias, &c. Ergo in tali collectione non consistit formaliter bonitas moralis.

Probatur secundo: Ratio generica moralitatis realiter distinguitur ab hujusmodi collectione: Ergo & ratio specifica bonitatis. Antecedens patet, ratio enim generica moralitatis importat locum ordinem ad objectum ut subiectum regulis morum. Consequenter probatur: Gradus genericus & differentialis in unaquaque re identificatur realiter; ac proinde ex reali distinctione unius ab altero tertio, inferitur distinctio, alterius ab eodem tertio, quia quae sunt eadem inter se distinguuntur ab uno tertio, ut dicit commune Dialecticorum principium, in quo ars syllogistica fundatur: Ergo si ratio generica moralitatis a praedicta collectione realiter distinguitur, ab ea quoque ratio specifica bonitatis realiter distingui debet.

Tertio: Si bonitas moralis esset praedicta collectio formaliter, non esset propria species moralitatis, quia species est unum per se, talis autem collectio unum per accidens, cum plura involvat diversi generis, & in suo genere completa.

Denique probatur secunda pars conclusionis: Eodem modo cum proportionem loquendum est de bonitate in moralibus, ac in naturalibus: in naturalibus autem sunt duo entium genera: quaedam absoluta omnino, hoc est quae non habent suam iudicantem in commensuratione ad extrinseca, ut lapsus, ignis, & similia: alia vero respectiva, aut praedicamentalis, aut transcendentalis, ut potentia, habitus, & actus. Porro quamvis bonitas entium absolutorum consistat in aggregato ex omnibus quae ad eorum perfectionem requiruntur, ut fundat relationem appetibilitatis: naturalis tamen entium relativorum bonitas, non potest formaliter esse illa in collectione omnium quae ad eorum perfectionem requiruntur; quia quaedam ad illa requiruntur tanquam extrinsecae connotata, ut objectum respectu actus, habitus, aut potentia naturalis: in hujusmodi vero extrinsecis non potest bonitas eorum consistere formaliter, sed potius in habitu & commensuratione ad illa: unde non ideo sunt bona his possitis, quod in illis formaliter consistat eorum bonitas, sed quia non potest intelligi quod entia respectiva habeant omnia ad suam perfectionem requiruntur, nisi intelligatur habere commensurationem ad praedicta extrinseca, in qua consistit bonitas; ut patet in habitu, qui non intelligitur habere omnia ad suam perfectionem requiruntur, nisi quia connotat objectum cui commensuratur. Similiter ergo in moralibus, cum actus bonus moraliter sit de genere relativorum, & inter ea quae requirunt ad sui perfectionem, referantur quaedam extrinseca, scilicet objectum ut vestitum debitis circumstantiis, evidentur sequitur bonitatem illius non consistere formaliter in collectione omnium, quae ad ipsum requiruntur secundum rectam rationem, sed potius in quadam habitu commensurationis ad ea quae per modum extrinseci connotati requiruntur, ut dicemus in tertia conclusione. Unde quod positis omnibus quae recta ratio postulat, quoquoque alio praefixo, actus intelligatur bonus, provenit ex eo quod in eis involvitur habitu illa ad extrinseca, non vero ex eo quod in eorum collectione bonitas ipsa consistat.

Dico secundo: Bonitas moralis non consistit in aliquo respectu rationis, aut in denominatione extrinsecam.

Prima pars patet ex dictis supra de moralitate in communi: si enim ratio generica moralitatis in aliquo reali consistat, prima ac praecipua eius species non potest consisti per respectum rationis. Deinde, ut ibidem dicebamus, actus humani sunt moraliter boni, meritorii, & laude digni, independentes ab omni fitione intellectus, & bonitas moralis ex solo actu intellectus in eis non resultat: Ergo non consistit in ente rationis, cuius fieri esset cognoscit, & quod, cessante intellectu fitione, penitus evanescit.

Secunda pars, quod nimirum non consistit in sola denominatione extrinsecam, probatur. Veritas quam actus intellectus desinit ab objecto, est illi intrinseca; & idem dic de specificatione, quam potentia, habitus, & actus in genere naturae sortiuntur ab objectis: Ergo pariter bonitas moralis, quam actus humani desinit ab objecto ut conformi regulis morum, erit aliquid ipsi intrinsecum, & non sola denominatio extrinsecam. Unde D. Thom. hic qu. 12. art. 4. ad 2. ait quod debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inhaerent actui.

Confirmatur: Bonitas moralis in habitibus virtutum est quid reale, & ipsis intrinsecum; illi enim realiter & specie distinguuntur penes diversis bonitates morales, quibus afficiuntur, quamvis interdum respiciant idem objectum in esse physico: Ergo etiam in actibus virtutum bonitas moralis erit aliquid reale ipsi intrinsecum. Consequenter probatur: tum quia qualis est habitus intrinsece, talem facit intrinsece actum: tum etiam quia alius actus virtutis non potest habere rationem causae efficientis, aut dispositivae, respectu virtutis moralis ut sic: utraque enim causalitas supponit in actibus aliquid reale intrinsecum, proportionatum ad

ad hoc ut possit causare bonitatem moralem virtutis: unde ulterius sequeretur non dari virtutes morales acquiras, quia non darentur actus per quos possent acquiri: nam per actus in esse physico non possunt comparari, neque etiam per actus in esse moris, si bonitas moralis non sit quid reale ipsi intrinsecum: Ergo &c.

Dico tertio: Bonitatem moralem formaliter consistere in respectu transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum.

Hae conclusio sequitur ex principiis disputatione precedenti statuta: cum enim bonitas sit species moralitatis, debet ex parte generis importare id ipsum quod importat moralitas, ac proinde modum illum habitudinis, in quo moralitatis essentiam collocavimus. Ex parte vero differentiae, nihil aliud potest addere, nisi quod talis habitudo fit ad objectum ut consonum regulis morum, cum per hoc distinguatur a malitia, quae respicit objectum illi dissonum.

Confirmatur: Bonitas moralis, cum pertineat ad genus mensurabilis & regulabilis per regulas morum, & mensurable ut tale dicat ordinem ad mensuram, non potest consistere in modo aliquo absoluto, actui humano superaddito: sed solum in aliquo respectu ad ipsius mensuram: Sed talis respectus non est rationis, ut supra ostendimus, neque praedicamentalis, cum non tendat ad terminum sub ratione pari termini, sed illum per modum specificativi & causae formalis extrinsecae respicit, cum interdum tendat in objectum non existentem, sicut cum quis appetit bonum possibile: Ergo solum potest esse respectus transcendentalis ad objectum, ut consonum regulis morum.

§. II.

Solvuntur objectiones.

Obicies primo contra primam conclusionem: D. Thomae hic art. 1. ubi expresse explicat essentiam bonitatis moralis, non meminit habitudinis quam nos ponimus, sed collocat illam in plenitudine essendi, ut scilicet actioni humanae nihil deficit ex his quae suo esse congruunt, cuiusmodi sunt debitis finis, debita quantitas, debitus locus, &c. Ergo non in tali habitu, sed in horum collectione, praedicta bonitas consistit.

Confirmatur: Idem S. Doctor ibidem praeficit bonitatem moralem cum naturali: Sed ad bonitatem & perfectionem in rebus naturalibus non est necesse aliud ponere, quam collectionem omnium eorum quae ad rei integritatem & plenitudinem requiruntur, & debent concurrere, ut connotat potest inductione in quacumque re naturali, ut homine, equo, lapide, &c. quae tunc habent bonitatem & perfectionem, cum nihil illis deest ex his quae ad eorum integritatem & plenitudinem necessaria sunt: Ergo similiter bonitas moralis actuum humanorum consistit in collectione omnium quae ad eos requiruntur, sine alio ordine vel habitu superaddito.

Ad objectionem respondeo, quod quando S. Thom. dicit bonitatem moralem actuum humanorum consistere in plenitudine essendi quam constituit in collectione objecti & circumstantiarum debitarum, non loquitur in sensu formali sed causali, & solum intendit quod habitu ad objectum consonum rationi, in qua bonitas moralis formaliter consistit, necessario presupponit in actu morali debitum objectum, finem, & circumstantias, eaque omnia exigit ad hoc ut in actu resultet. Unde art. seq. in resp. ad 3. concludit quod ipsa proportio actionis ad effectum est ratio bonitatis ipsius. Et art. 4. ad 2. ait: Quamvis sibi sit causa extrinseca, tamen debita proportio ad finem, & relatio in ipsum, inhaerent actioni. Non ergo constituit formaliter bonitatem moralem in plenitudine essendi, seu collatione objecti, finis, & circumstantiarum debitarum, sed in proportionem & habitu ad objectum debitis circumstantiis vestitum; & solum vult talem plenitudinem seu collectionem ad bonitatem moralem necessariam praeparari, tanquam fundamentum huius habitudinis & proportionis.

Quare exemplum quod adducit de bonitate physica, tenet quantum ad aliquid, non quantum ad omnia. Paritas in eo consistit, quod sicut ad hujusmodi bonitatem requiritur, quod res habeat omnes perfectiones & formas sibi debitas secundum exigentiam propriae naturae, & quilibet deficiente res ex ea parte reddatur mala & imperfecta; ita ad bonitatem humane actionis opus est omnibus quae recta ratio postulat, & per casum eorum defectum redditur mala & peccaminosa. Ratio autem discriminis est: quia in rebus absolutis, qualis est substantia, regula bonitatis non est aliquid extrinsecum, sed ipsum subiectum, & propterea tota bonitas sumitur ex convenientia ad illud, neque est aliud praeter ipsas formas, quae subiecto convenient: in actionibus vero, quarum totum esse est in ordine ad objectum, & tota bonitas est respectiva; & propterea aliud est quod requiritur per modum termini, ut talis bonitas resultet, scilicet objectum conveniens, finis rectus, & circumstantiae; & aliud ipsa bonitas, quae ex illorum collectione & concurrentia in actu confurgit. Ex quo patet responsio ad confirmationem.

Obicies secundo contra secundam conclusionem: Relatio conformitatis, in qua nos constituimus bonitatem moralem actus, saepe est ad objectum non existentem, ut cum quis desiderat de aliquo futuro, vel praeterito: Ergo non est realis, sed rationis. Consequenter videtur manifesta, quia relatio realis exigit terminum realem & existentem, cum a termino specificetur.

Hinc argumento patet solutio ex dictis disputatione 26 precedenti de moralitate in communi: licet enim ratio collationis, in qua bonitas moralis consistit, possit esse ad objectum non existentem; & sic non sit relatio praedicamentalis & secundum esse; hoc tamen non tollit quod sit relatio transcendentalis, vel secundum dici, cum ipsa non expositat necessario terminum realem vel existentem, sed possit ad entia rationis, vel ad res non existentes terminari, ut patet in ordine transcendentali quam Logica dicit ad suum objectum, vel actus voluntatis ad dignitates & honores quos appetit, qui sunt mera entia rationis, aut denominationes extrinsecae. Sicut ergo hoc argumentum Vasquez non probat non dari actum realem circa objectum non existentem, ita nec probat non dari moralitatem realem actus erga objectum non existentem; cum illud ipsum objectum non existens, possit esse mensuratum & subordinatum regulis rationis, subindeque terminare & specificare actum moralem.

Obicies tertio contra eandem conclusionem: Bonitas & malitia actuum humanorum pendet a libera hominum voluntate, aliquid disponente extrinsece circa actus humanos: Ergo non est aliquid eis intrinsecum, sed solum denominatio extrinseca. Consequenter patet: quia si disponente voluntas non influat illis aliquid reale aut physicum, sicut nihil physicum imprimi monetis dispositive principis, eis dantis pretium, sed solum extrinsecam denominationem. Antecedens etiam constat, tum in actibus qui mali non sunt ex objecto secundum se, sed quia prohibentur est; tum etiam in multis actibus malis jure naturae, qui non important repugnantiam ad rectam rationem, nisi supposita aliqua conditione dependente a libera hominum voluntate: v.g. furtum, cum sit acceptio rei alicui invito domino, requirit duo quae pendet a voluntate libera, scilicet rem quae accipitur, esse sub dominio alterius, & dominum esse invitum; adulterium requirit alterum eorum a quibus committitur, esse matrimonio alicui junctum, quod pendet ex libero consensu illius.

Respondeo, concessio Antecedente negando Consequentiam: licet enim a positione vel mutatione legis pendat actus in ratione boni vel mali moraliter in quantum per eam immutatur objectum in esse moris, in ordine ad quod actus humanus habet suam moralem bonitatem vel malitiam; ex hoc tamen non sequitur bonitatem aut malitiam moralem in extrinseca denominatione consistere; quia, ut saepe diximus, actus realis voluntatis, per veram & realem tendentiam potest ferri in objectum, ut subest alicui denominationi rationis, & prout ab illa in ratione mensurabilis dependet: sicut cum aliquis desiderat sibi dignitatem vel jurisdictionem, quae est extrinseca denominatione.

Obicies ultimo contra ultimam conclusionem: Relatio nihil est contrarium, ut ex Aristotele in capite de relatione docent communiter Dialectici: Sed bonitas moralis contrariatur malitia: Ergo bonitas moralis non consistit in relatione, sed in modo aliquo absoluto, actui humano superaddito.

Confirmatur: Bonitas moralis fundat in actibus humanis relationem conformitatis mensurabilis ad mensuram, quae est praedicamentalis & tertii generis: Sed una relatio non potest esse fundamentum alterius, alioqui daretur processus in infinitum, ut docetur in Logica: Ergo idem quod prius.

Respondeo hoc argumentum, ejusque confirmationem, solum probare quod bonitas moralis non potest in relatione praedicamentali consistere; haec enim non habet contrarium, nec aliam relationem fundat: relatio vero transcendentalis, quae entitative est aliquid absolute, potest consonum habere, & relationem praedicamentalem fundare, sicut datur contrarietas inter actus & habitus, ac in ipsis fundantur relationes aliae secundum esse, in quibus tamen non consistit ipsa ratio propria actus vel habitus: unde bonitas moralis potest consistere, & de facto consistit in respectu transcendentali ad objectum, ut consonum regulis morum, qui est ratio fundandi relationem praedicamentalem conformitatis mensurabilis ad mensuram, & qui prius intelligitur in actu qualis relatio resultet.

§. III.

Corollarium praecedentis doctrinae.

Ex dictis facile colligitur quid sit dicendum de malitia aut moralis, quae est altera species moralitatis, opposita bonitati moralis: supposito enim quod sit forma positiva, non potest in alio consistere, quam in habitu transcendentali ad objectum, ut dissonum regulis morum; cum debeat in ratione generica moralitatis convenire cum bonitate, subindeque secundum gradum genericum importare habitum.